Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 783
Quelle:
Copyright:

f. Sequi nunc *Paulini* Exhortationem jam ſupra monui.

III. *fol.* 81. p. 2. Συλλογη piarum Precum praecipue ad patientem Servatorem, quarum poſtremae: *Domine Jeſu Chriſte deus omnipotens, qui hanc congregationem ad glorificandum nomen tuum ſanctum in hoc loco adunari permiſiſti, da nobis famulis tuis adiutorium tuum ſanctum de cęlis, ne paciamur detrimentum animarum noſtrarum, et ne des hanc congregationem in diſperſionem propter nomen tuum; ſed qui poſt baptiſmi ſacramentum ſecundam abolitionem peccatorum elemoſinis indidiſti, reſpice propicius fideles tuos, de quorum operibus tibi gratię referuntur. Fac eos premio beatos, quos feciſti pietate deuotos. Recipiant pro paruis magna, pro terrenis cęleſtia, pro temporalibus ſempiterna.* Ita ſenſatae ſunt etiam praecedentes, et religioſae cuidam Familiae inſerviviſſe videntur.

IV. *fol.* 82. *Incipiunt Sermones Magiſtri Petri Longobardi.* Prope accedit nitide ſcripta haec Collectio ad Autoris, qui Epiſcopatus *Pariſ.* et vitae annum 1160. ultimum habuit, tempora. Pretium ejus inde creſcit, quod eorum, qui de Viro hoc celebri tractavere, neminem reperio, a quo *Sermones* ſcripſiſſe memoretur, praeter *Henricum Gandav.* a. 1293. mortuum, qui c. 31. *de Scriptt. Eccl.* teſtatur: *Inveniuntur etiam Sermones aliqui de diverſis ſolennitatibus ab ipſo ſcripti.* Et eccos. Numero ſunt XXVI. et quidem III. primi in *Aduentu domini.* IV. in *Circumciſione.* V. in *Epiphania.* VI. in *Purificatione S. Marię.* VII. in *Septuageſima.* IV. ſequentes tempore Quadrageſimae. XII. in *Palmis.* XIII. in *Annuntiatione S. Marię.* XIV. in *cena Domini.* XV. in *receptione Penitentium;* eadem nempe, ut ex ipſo Sermone liquet, die. Sequentes VIII. de Paſſione et Morte Chriſti. XXIV. de nomine Chriſtiani. XXV. *in media XL^ma^.* Demum XXVI. *ad uincula ſancti Petri,* alia ſed aeque vetuſta manu adjunctus. Sermones paene omnes a Textu biblico ducuntur, et I. quidem ab illo *Dan.* c. 7. v. 13. *Aſpiciebam ego in uiſione noctis* &c. in hunc modum: *Celeſtibus danihel flagrans deſideriis. unde ab angelo eius intelligentię miniſtro uir deſideriorum uocari meruit. accepto diuinitus intellectu per angelum. effudit ſuper ſe animam. ut in admirabilis pertranſiret ſecretum contemplationis. et inueſtigabiles diuitias ſacramenti abſconditi a ſeculis in deo perciperet. hoc eſt miſterii incarnationis uerbi. quod erat in principio apud patrem. de quo iheremias ait. nouum faciet dominus ſuper terram. mulier circumdabit uirum gremio uteri ſui. hec eſt uirgo ſacra que operante ſpiritu ſancto ſine uiri acceſſu filium patri omouſion. i. conſubſtantialem. de ſua ſubſtantia concepit et peperit. ut qui erat in diuinitate dei filius. fieret in humanitate hominis filius. non duo filii. ſed unus homo chriſtus ihesus. quod eſt inauditum et ineffabile. Recte igitur uir deſideriorum ait non ſimpliciter filius hominis. ſed quaſi fi-*

lius